



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

74 Canonicatus, & dignitas in eadem ecclesia ab eodem obtineri potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

ueniens tempore vacationis non reservatur successor, quale regulariter Canonicus non habet, gl. in ca. sicut, de elect. sed inter superstites diuiditur. ex Nau. in Man. c. 25. n. 122. Fructus autem parochialis Ecclesiæ ob absentiam perdit, vel fabricæ illius Ecclesiæ parochialis, vel pauperibus loci, oppidi, vel pagi, ubi sita est restituendi sunt, ex Cōc. Tri. sess. 23. c. 1. de ref.

DECISIO LXVI.

Ex consil. 63. alijs 3. de cler. non resid.

66 **F**ructus quibus Canonicus priuandus est, eo quod ultra tres menses abfuerit seruitio Ecclesiæ, contra Cōcil. Triden. sess. 24. c. 12. de ref. decretum alicui operi pio, in quod arbitrabitur is, qui priuauit applicandi sunt. Quia quod a iure determinatum non est, iudicis arbitrio determinari debet, c. de causis, §. 1. ff. de off. deleg. Nec potest episcopus, aut Legatus penam a Concilio impositam remittere, aut super ea dispensare, gl. in c. dilectus 2. de præb. & c. cum dilectus. de elect. capit. fin. de fil. presbyt. immo sine causa iusta realiter delinquentem episcopus punire dissimulans, peccat, arg. cap. irrefragabili, de offic. ord. & gl. in c. ea, que, de off. Archiep. Non tamen tenetur Canonicus in conscientia fructus sic acceptos restituere, donec ab episcopo illis priuatus sit, cum nemo soluere tenetur penam, præsertim ipsi iure non impositam, sed per sententiam imponendam, donec a iudice condemnetur. glo. in c. fraternitas 11. q. 2.

DECISIO LXVII.

Ex consil. 64. alijs 12. de reb. eccl. non alien.

67 **E**piscopus beneficia ad sedem Apostolicam deuoluta, & eiusdem collationi reservata, alijs beneficijs tam iure antiquo, c. vnic. 10. q. 1. ca. sicut vnire, de excess. præl. Panor. ibid. quam nouo Concilij Trid. sess. 21. c. 5. de ref. perpetuo vnire potest; Per quam vnionem iure accessionis, & accessorij, ius quod beneficiarius habuit in alijs beneficijs obtentis, ad illa etiam vnita se extendit, arg. c. super eo, de præb. in 6.

DECISIO LXVIII.

Ex consil. 65. alijs 1. de vita & hon. cler.

68 **V**m operarius dignus sit mercede sua. Luc. 10. & qui seruit altari, de altari viuere debet. 1. Cor. 9. & c. cum secundum, de præben. clericus beneficiarius habens bona patrimonialia, & ecclesia seruiens, de fructibus beneficij sui iuste se alere potest, non aliter, ac si patrimonium non haberet, & patrimonium suum cum fructibus illius cognatis suis, & alijs quibus volet, erogare potest. Innoc. in c. episcopus, de præben. Pan. & Fel. in cap. postulati, de refer. Manu. ca. 2. §. nu. 127. maxime cum Ecclesia clerico beneficium conferens, cum eo tacite conuenit videtur, vt sibi seruiat in his, que beneficium requirit, & reditus eius accipiat, c. nisi pridem, de renun. & proinde seruenti sibi ministerij pretium de iustitia soluere tenetur; adeo vt habere, vel non habere patrimonium, nihil prodest, aut nocet ad hoc, quod Ecclesia beneficiario debeat, vel non debeat operæ suæ pretium, & reditus pro illa opera per beneficij titulum assignatos.

DECISIO LXIX.

Ex consil. 66. alijs 3. de immun. eccl.

69 **B**eneficia cum iura sint spiritualia, ca. dilecto, de præb. vel certe illis annexa, non quidem antecedenter, vt est ius patronatus, sed dependentes, seu sequentes, ex Nau. in Man. c. 23. nu. 111. quod est maius, adeo vt ad illorum capacitatem requiritur, vt quiddam spirituale precedat, quo quis eorum capax efficitur, c. cum adeo de refer. S. Tho. 2. 2. q. 110. ar. 4. immo, & ipsa etiam prædia Ecclesiarum quatenus talia, sacra sunt, & qui ea diripit, vel absque solemnitate ecclesiastica usurpat, est sacrilegus, c. sunt, qui opes, & c. quisquis 17. q. 1. consequenter etiam fructus huiusmodi beneficiorum ecclesiasticorum, quatenus tales sunt, potestati, & dispositioni laicorum quorumcumque non sunt subiecti; Quamuis ea ratione, qua res vendibiles sunt, & emibiles, & translate a beneficiarijs in aliquem,

per aliquam dispositionem licitam, ab ecclesia probatam, eo quod per illam facta sunt quodammodo profana, regum, & principum potestati subiecta dici possunt.

DECISIO LXX.

Ex consil. 67. alijs 16. de præscrip.

70 **S**icut pluribus ex causis excommunicatus, licet absolutus, non censetur absolutus a contractis ex alijs causis, cap. ex parte, de offic. ord. c. cum pro causa, de senten. excommu. ita & beneficiarius, qui tribus de causis fructus beneficij male percepit, videlicet, quia accepit illos post irregularitatem contractam, & quia vno anno horas non recitauit, & altero abfuit a beneficio, quod erat parochialis Ecclesiæ; si obtineat a Papa reuadicationem tituli, quem nulliter acceperat existens irregularis cum condonatione fructuum, nulla facta mentione, de prædicta horarum omissione & absentia, ex sola præfata Papæ condonatione a restitutione fructuum illorum duorum annorum non liberatur: quia gratia illa condonationis subreptitia censetur ex taciturnitate aliarum duarum causarum, gratia autem subreptitia non est valida, ca. Super hieris, de rescrip. nec tam facile concessisset illam condonationem Papa si sciuisset, quod ex tribus causis perdidit fructus, ac concessit sciens, quod ex vna tantum, cap. postulati, de rescrip. Vnde condonatio illa restringitur solum ad causam perditionis ex defectu tituli in petitione expresso, & non ad alias causas non expressas, præsertim quia voluntas non fertur in incognitum, l. Rutilia pollea, ff. de contrah. emp. & debens aliquid ex pluribus causis, si liberetur a debito ob vniam tantum illarum, non liberatur ab eodem quatenus debet ex alia, l. cum quaritur, ff. de except. rei iudic. Quia tamen fructus obuinentes tempore vacationis debentur successor, cap. cum vos, de offic. ordin. c. præsentis, de elect. in 6. & fructus præfati obuenerint tempore vacationis, ex eo quod collatio prius ei facta ob irregularitatem non valuit, ipsemet beneficiarius tanquam primus successor eius, qui habuit postremum titulum canonicum, illos tanquam nouus successor ratione reuadicationis sui tituli, retinere potest.

DECISIO LXXI.

Ex consil. 2. in Nouis, deest in antiquis.

71 **V**m plura requirantur ad hoc, vt quis beneficium, quam clericatum accipiat, idoneus reputatus ad clericatum assumendum, non ideo idoneus ad beneficia obtinenda reputari censetur.

DECISIO LXXII.

Ex consil. 4. in Nouis, deest in antiquis.

72 **V**acante parochiali Ecclesia, quatenus multum deceat, vt episcopus edictum publicum proponat, ad id tamen virtute Concilij Trid. sess. 24. cap. 18. de refer. non cogitur, nisi in ijs locis, in quibus id postea per Synodum provinciale statuitur. Plures autem nominare tenetur, nec impedire potest, ne alius, vel plures intra decem dies examinandi veniant, quos per se vel Vicarium suum, & alios examinatores examinare debet.

DECISIO LXXIII.

Ex consil. 12. in Nouis, deest in antiquis.

73 **P**arochiales plures sine dispensatione Papæ obtinens, & ad illas, & ad alia beneficia quæcumque obtinenda inhabilis fit. Extran. Execrabilis, §. porto, de præbend. & vltimo loco adeptæ collationi Papæ referuantur, ita vt si ordinarius illas conferret, collatio nulla, & inuvalida esset.

DECISIO LXXIV.

Ex consil. 21. in Nouis, deest in antiquis.

74 **C**anonicatus, & dignitas cum iure communi incompatibiles non sint, in eadem ecclesia ab vno, eodemque obtineri absque dispensatione possunt. Arg. cap. cum olim, de sent. & re iudic.